

**Dissertatio inauguralis medica, de petechiis febrium malignarum /
[Laurentius Theophilus Luther].**

Contributors

Luther, Lorenz Theophilus, 1677-
Jacobi, Ludwig Friedrich, -1715.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfurt : J.H. Grosch, 1707.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cmn5zz6g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PETECHIIS FEBRIUM MALIGNARUM,

^{Quam}

IN ALMA ac PER-ANTIQUA GERANA,

DEO BENEDICENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO, S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CA-
MERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIA-

RUM MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO

CAPITULARI SENIORE,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSI-
LIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIque

ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE, &c.&c.

Con sensu & Auctoritate Amplissimæ Facultatis Medicæ,

P R A E S I D E

D. LUDOVICO FRIDERICO JACOBI,

Electoris Moguntini Archiatro, Prof. Chym. æstumatisimè,

& Assessore Ordinario, &c.

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ac PROMOTORE aeternum debenerando,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA HONORES, & PRIVILEGIA DOCTORALIA

more Majorum rite & legitime capessendi,

Publicæ Eruditorum Ventilationi exponet

LAURENTIUS THEOPHILUS *Luther*/

Erfurtensis Practicus,

[IN AULA COLLEGII MAJORIS

Die 5. Martij, 1707.

Reverendissimo, Illustrissimo, Magnificientissimoque Domino;
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO, S. R. I.

COMITI de BOINEBURG,
Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario In-
timo & Camerario, nec non Metro-
politanarum Ecclesiarum Mogun-
tinæ & Trevirensis Canonico

Capitulari Seniori,
Eminentissimi Principis Electoris Mo-
guntini Consiliario Intimo ac Civita-
tis Territorijque Erfurtensis
Pro-Principi,&c.&c.

Domino Meo Gratiostissimo,
HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
D. D. offert ac consecrat
Cliens humillimus

A U T H O R



Πάρτα σύν τῷ Θεῷ.

PROÆMIUM.



Otum Æterni Genitoris opus
haud levissimis indies jactari
mutationibus, quotidiana no-
bis testatur experientia , splen-
didissima enim cæli sidera suos
patiuntur Eclipses : Aēr stupen-
disimis crebrò agitatur turbinibus , terra con-
tremilcit , Mare ferocissimis disturbatur procella-
rum fluctibus, ut non rarò tot fortissimorum op-
pidorum eversiones , & proh dolor ! tot Regio-
num ruinæ ac clades sequantur. Quid dicam
de Compendio Macrocosmi Microcosmo homi-
ne, nonnè iisdem , si non omnibus , saltem pluri-
bus subjacet vicisitudinibus? Dum omnes ejusdē
partes, suos quoq; patiuntur Manes, Caput enim
& Cerebrum, ex communi sententia, Mentis arx,
& sensuum Emporium , benignissimo cum Sole

(cor volo) Apoplexiā, Epilepsiam, Vertiginem,
Palpitationem &c. imò omnium Virium sum-
mum experitur collapsum. Alibi sangvis, Ne-
Etat illud purpureum, fons vitæ, varias sustinet
turbas, Coagulationes, Dissolutiones inordinatas
fermentationes, & quis omnes enumerabit insul-
tus? Plura quid dicam, tota hominis natura variis
impugnatur hostibus, tanto cum impetu irruenti-
bus, ut sæpè saepius tota hominis machina subver-
tatur. Unicum ex his ut tangam, nempe Febres Ma-
lignas Petechiales, quas clades humano generi nō
inducunt, ut etiam maximam hominum partem
hæ corripiant, naturam humanam invertant, &
Jugulum vitæ petant. Quarum quoque conside-
rationem uberiorem, hīc loci nobis proponere
placuisset, nisi hactenus sufficienti scrutinio à
plurimi se essent ventilatæ, adeò ut non opus esse
censeamus uberiorem & majorem harum aggre-
di enucleationem. Proinde arridet nobis, loca
Speciminiis Inauguralis saltim istarum Petechias
enucleare, & Lectoris placidæ Censuræ submit-
tere, hacce tamen Methodo, ut omnia pro majori
elucidatione, atque perspicuitatis causa, ad qua-
tuor causarum genera reducamus, & primò in
causa formali Nomina earum, definitionem, nec

non Differentias insinuemus : Simulque quâ ratione ab aliis maculis differant , & nunc Priscis etiam Medicinæ Proceribus fuerint cognitæ & perspectæ expendamus. In causa verò Materiali subiectum ex quo & in quo , sumus exposituri , & sic materiam , quæ Petechias generat , significaturi , deinde in causa efficiente ipsum movens , quod scilicet materiam ad ambitum Corporis protrudendo Petechias progenerat declaraturi , ultimò in causa finali , quid Petechiæ præmonstrant , quantum licebit manifestaturi. Defectum autem ingenij nostri , in re tam arduâ statim in limine agnoscimus , atque eapropter æqui Lectoris Benevolentiam nobis exoramus. Te verò Æternum Numen , cui omnia mea debeo , supplex veneror , ut mentis meæ imbecillitati succurrere , meaque incepta , in Nominis Tui Gloriam , & multorum ægrotorum salutem dirigere quam clementissimè digneris.

TH. I.

Petechias Malignarum Febrium , cujuscunque fint conditionis & ordinis , ut harum symptomata existentes , impræsentiarum saltēm tractare placet , et si quoque nobis non ignotum sit , has vix considerari posse , nisi simul morbus consideretur . Petechia verò vox est , neque Græcis , neque

Arabibus, nec Latinis Medicinæ Scriptoribus perspecta: Eâ tamen frequentissimè Itali utuntur, hinc Medici et iam Vocabula Petechiarum, Pestechiarum, pestichiarum, & peticularum usurpant, unde verò hæc vox derivetur, non adeò planum est: *Fracastorij* opinio & Mens est, quod peticulæ mutatis quibusdam literis à puncticulis sint dictæ, similes enim sunt pulicum puncticulis. *Mercurialis* sentit à pulicibus petechias de ductas: Pulicem quippe Italorum Gens *pidochietto*, & *pedicello* nominare consuevit. Derivationem petechiarum à pulicibus nos etiam desumimus, quamvis Eadem alias sortitæ sint appellations, siquidem *puncticulæ*, *lenticulæ* & *purpureæ*, & *maculæ pulicares* ab Authoribus appellantur.

TH. II.

Puncticulæ, ob causam modo datam, quia puncturis sive ictibus pulicum similes existunt: *Lenticulæ*, quod lentium figuram & magnitudinem repræsentent: *Purpureæ*, à colore purpureo, *Maculæ* denique *puliæ* ob causam modo allatam, sæpè vibices, sive stigmata ex pulicum morsibus contracta sequuntur. Germani peculiare non habent, sed vel genericō utuntur vocabulō, & petechias *gifftige und Pestilenzische Flecken* nominare solent; vel sanè Italorum voce contenti, eas *Petechien* appellant.

TH. III.

His præmissis Definitionem petechiarum aggredior; definiens illas, quod sint maculæ cutis, instar pulicum morsus & stigmatum indè relictorum venenositatem pestilentium malignarumque febrium, in quibus solidis videntur, patefacentes, à tono fibrarum cutis debili, indequé harum ulteriori ex corpore transpiratione impedita,

dita, variantes ratione coloris pro varia humorum & veneni maligni indole ortæ : Sparsumque modo in hac, modo in illa, interdum exiguâ cutis parte conspicuæ.

TH. IV,

Non ignorandum, nos hic veras & propriè dictas petechias definire, non autem illas, quæ *δημονύμως* tantum petechiæ sunt, natura verò & definitione petechiarum carent, quales sunt maculæ, quæ in febribus quibusdam efflorescunt, petechijs, colore figura, & magnitudine non absimiles : Hæ enim à rerum ignaris, pro veris petechijs haberí solent, cum tamen malignitatis indices re verâ non sint, sed simplicis duntaxat effervescentiæ sanguinis, qui contagij & virulentiæ expers est.

TH. V,

Alexander Massarius l. 5. Prax. c. 25. scribit petechias transmissiones esse materiæ venenatæ ad cutem : Quod quidem verum est, nos quoque in sensu causaliter concedimus, quoniam extramissionē malignorum humorum nascuntur, in sensu verò formaliter non item. Non enim effectus per suam causam efficientem definiri potest, quia hæc extra illius essentiam est. *Hieronymus Mercurialis l. 5. Prax. c. ult. ait.* eruptiones esse pravorum humorum, factas à natura, profundum corporis expurgante, quod rursus causaliter tantum loquendo verum est : Non autem si formaliter de Petechiis agamus. Angustior propterea definitio suo esse definito videtur, cum non omnes petechias includat, neque omnibus applicari possit, competit enim petechiis Criticè duntaxat factis, non illis, quæ symptomaticè, vi ebullientium humorum emergunt, plerisque Recentiores petechias ad *ἰξαρθρικαὶ ηὐξανθήσιας ἐκφύταται καὶ ἐκθύματα* referunt neque id immerito : Sunt enim hæc *Vocabula apud Hipp. & Galenum* adeò generalia,

ut

ut ambitu suo quasvis efflorescentias , & papulas cutis complectantur dicta $\alpha\pi\circ\tau\tilde{\nu}\xi\gamma\tau\tilde{\nu}$ ab efflorescendo ; quod pullulent & emergunt per summa ; Item $\alpha\pi\circ\tau\tilde{\nu}\xi\phi\sigma\epsilon\varsigma$, quod est ut *Galenus Comm. 3. in l. 3. Epid. t. 51.* interpretatur, $\xi\gamma\gamma\mu\alpha\mu$, erumpere , Item $\alpha\pi\circ\tau\tilde{\nu}\xi\mu\epsilon\varsigma$, quod edere ac producere sonat. Observandum autem duplex $\xi\gamma\mu\alpha\mu\omega\alpha\omega\alpha\omega$ genus esse ; Unum quod cutis tantum colorem mutat, alterum in quo pustulæ quædam eminentiores in cutes erumpunt , quod propriè $\xi\theta\mu\alpha\mu\omega$ nomen sibi vendicat. Quemadmodum ex loco *Galeni modo allegato* colligitur. Innuit enim Galenus , $\xi\theta\mu\alpha\mu\omega$ tubercula esse , quæ cutem in tumorem attollunt , ad genus autem prius petechiæ pertinent, non item ad posterius.

TH. VI.

Differentiæ petechiarum sumuntur à quantitate, eaque tūm continuâ, tūm discretâ ; à qualitate & quidem potissimum à colore figura : à tempore apparitionis : durationis, modo eruptionis & materiæ.

TH. VII.

Ratione quantitatis continuæ, aliæ sunt *majores*, aliæ minores, aliæ *minimæ*, quæ morsibus pulicum similes : Ratione quantitatis discretæ & numeri, vel frequentes sunt, crebræ atque *densæ* : vel *rare*, *paucæ*, & hinc inde *differsæ*. Ratione coloris variæ : nempè *rubræ*, *purpureæ*, *violaceæ*, *lividæ*, *five plumbeæ* vel *nigræ* : Ratione figuræ, aliæ *lenticulares* sunt, aliæ *punctum pulicum* referunt, aliæ *latæ*: ut *majores*, quæ tamen *rariores* : Ratione temporis, mori in principio , mox in progressu apparent. Ratione durationis , aliquando diu permanent , & non nisi sudore vel planè evanescunt, vel retrocedunt. Ratione modi non nullæ Criticè , quædam symptomaticè, aliæ medio motu

exori

exoriuntur: Alia celeriter, quædam tardè. Ratione *materiæ*, variæ sunt petechiarum differentiæ, propterea etiam colores earum variant: quia à diversis humoribus proficiuntur. Sunt autem maculæ variæ, quædam sine morbo; nonnullæ non nisi in morbis conspicuntur. Sine morbo sunt maculæ originales, lentigines &c. Cum morbo sunt Vitiliges erythremata, ^{ερυσιπελατάδες} & quæ in Iue & rea, & elephantiasi observantur.

TH. VIII.

Materia ex qua petechiæ generantur, dico quod sint crassæ exhalationes putrescentis & ebullientis humoris in venis, quoniam propter ineptas particulas cutem penetrare non possunt. Ratio autem hæc esse videtur, quia fiunt sine tumore, & quia cito generantur, citoque disparent: quod tenuis dissipatque facilis materia, qualis vapor est, argumentum esse videtur: Ratione etiam hujus, quia materia petechiarum humoralis est, quod tum Authoritate, tum ratione probari potest: primò quidem Authoritate *Hipp. qui lib. de humor, causas colorum cutis, non in Vapores, sed in humores refert, qualis, inquit, est humor, talis in cute efflorescit color.* Et ulterius debemus fateri, quod omnes maculæ, quæcunque tandem sint, ab humoribus proficiuntur. *Test. Galen. l. 3. de Sympt. Caus. cap. ult. ergo & petechiæ.* Nam quod de genere dicitur, de specie quoque dici necessum est, quia sæpius immò sæpissime petechiæ aliquando retrocedunt, & præter opinionem evanescunt, quod certe fieri propterea videtur, quoniam illa maligni humoris portio, quæ viam ad cutem quærebat, à Via sua avocatur, & ad aliam transfertur. Rationes quidem plures hic adducere possem, verum cum omnia satis patet ex iam recensitis, non opus his esse arbitror.

TH. IX.

Itaque Concludimus , materiam petechiarum in genere esse humorem : in specie autem tum sanguinem, tum bilem, tum pituitam. Variant enim petechiae in colore. Necessum igitur, varios quoque humores eorum generationi occasionem præbere. Id quod ipse quoque *Angelutius* non procul à fine libri de nat. & curat. malign. febr. ingenuè fatetur, cum scribit , rubentes petechias fieri à sanguine , albantes à phlegmate : flavas & virides à bile : nigras à melancholia. Cæterum humores isti potissimum secundum tenuiores suæ substantiæ portiones petechias producunt. Cujus rei quadruplex dari potest argumentum, 1) quia petechiae cito fiunt. citoque disparent 2) quia cutem in tumorem non attollunt. 3) quia facile retrocedunt 4) quia pharmacis dia-phoreticis & sudoriferis promptè delean tur.

TH. X.

Speciale petechiarum subjectum , in quo & copiose & frequenter conspicuntur, certæ sunt cutis partes. Primum quidem ea, quæ dorsum tegit : hæc enim adeò interdum puncticulis scatet, ac si urticis cæsa, vel acubus compuncta , vel à pluribus demorsa fuisset pulicibus. Causa est duplex : Una quia dorsum calidum : & quidem tum nativo tum ascititio calore, Nativo : quoniam carnosum & sanguineum fontis calor is, nempe vasis sanguiferis manifestioribus vicinum. Ascititio : quoniam ægri ; præsertim qui debiliores sunt , quales in malignis pestilentibusque esse febribus solent, ut plurimum in dorsum decumbunt : adeò ut non paucis ob humores , & fuligines calidiores acrioresque factas exulcentur. Ubi autem calor major, ibi cutis rarior, laxior

& va-

& vasa ejus patentiora, ita ut per ea aliena materia facile ad cutem fluere possit. Altera, quia dorsum Venam cavam & arteriam magnam habet vicinas. Hæc enim vasa, quia amplissima, secundum dorsi longitudinem descendunt, hujusque propaginibus dorsum largiter perfundunt. Crebro quoque petechiæ *in pectore* apparent; idque propter numerosos ramos, quos à vena cavâ & aorta mutuatur, minus tamen crebro, quam in dorso, quoniam pectus sæpe denudatur: præsertim in febribus. Unde materia repercutitur, vel saltem liberè exire prohibetur, frequenter petechiæ *in collo* esse solent: quoniam cutis illius est rara, laxa & mollis &c. in *brachiis*, *cubitis* ac *manibus* rariores sunt, paucioresque quia brachia aeri exposita. In *cruribus* videntur magis: quoniam plerumque recta. Minus tamen quam in thorace: quia à fonte venenatæ materiæ distantiora. *Facies* febre libera à petechiis, tum quia perpetuò nuda: tum quia longius à sede materiæ morbificæ remota.

TH. XI.

De *materia* petechias generante, de que *subjecto*, in quo potissimum locum habent jam constat. Dicendum modò *de causa efficiente*: hoc est, de illa causa, quæ materiam generatæ ad Cutem alegat. Ea verò in genere *Natura* appellatur: in specie autem tonus fibrarum debilis. Illa enim lacessita atque irritata noxios humores tūm ad loca alia, tūm crebrè etiam ad cutem protrudere solet, & ectypum morbo proprium ibi pingit. Hic a. istas ulterius emovere minor est. Sed hic quæritur, quoniam motu petechiæ fiant Criticone, an symptomatico, an mixto? Ad hanc quæstionē respondetur, & critico, & symptomatico & Mixto, Critico quidem: cum petechiæ non in principio: sed in progressu febris malignæ, & quidē die Critico, vene-

materiâ non quidem perfectè vereque concoctâ (conco-
qui enim verè ob malignitatē nequit) attamen frænatâ
mitigatâ, castigatâque, & ad meliorem statum redactâ ,
cernuntur , idque vel cum solutione, vel diminutione sal-
tem morbi venenati notabili effectuque digna. Notan-
dum tamen , criticam petechiarum eruptionem per-
quam raram esse , idque propter causam modo allatam ,
quoniam materia morbifica ejusdem est perversitatis &
malitiæ , ut ei domandæ, & à sinceriore melioreque hu-
morum massâ segregandæ natura ut plurimum sit impar.
Quare motus iste , quo per ^{μετάστασιν} virulentæ materiæ ad
cutem petechiæ constituuntur , symptomaticus ferè
est. Fit enim à naturâ , vel à copiâ vel à pravitate ma-
teriei provocata, idque statim per initia morbi , die non
critico , ante edomitam correctamque materiam. Unde
est, ut nullô cum juvamine petechiæ tunc se se exferant.

TH. XII.

*Antequam ad Causam finalem aceedamus , coronidis
Loco dispicere placet , quænam causa sit illarum petechiarum , & in genere illarum macularum, quæ demum post mortem in cadaveribus cernuntur ? Petechias enim & ante mortem , & paulo post eam in malignâ correptis febre apparere , rerum Magistra docet experientia. Defunctorum enim cadavera nonnunquam commaculari , ^{ἀυτοψίᾳ} in peste extinctis, veneno sublatis, aquâ submersis , & laqueo suffocatis, ostendit. Est autem causa consideranda duplex: Materia & efficiens: Materia in genere humor est. Nam Galen. lib.3.de sympt. caus. c. ult.scribit , cutis maculas præternaturales, ab humorum vitio proficisci. In specie verò vel sangvis vel pituita, vel bilis flava, vel Melancholia. Variant quippè maculæ coloribus , ideoque necessum*

cessum est , ut variæ etiam earum materiæ statuantur. Hæ autem materiæ ut plurimùm tenuiores subtilioresque humorum in vasis delitescentium portiones sunt , & tales , quales in vasis erant , effunduntur in cutem : extravasatæ autem coagulatæ & refrigeratæ livorem contrahunt ; unde cutis lividis , nigrisque defædatur coloribus : uti in strangulatis & suffocatis appareat. Vel non tales , quales erant prius , sed quales noviter factæ erumpunt : Quemadmodum patet in veneno necatis : Veneno ; inquam , vehementi , & admodum violento , quod intra parvi temporis spatium suam operationem exerceat , humoresque corrumpit , ut inde vel flavo , vel viridi , vel nigro , vel livido colore corporis partes inficiantur.

TH. XIII.

De *causa efficiente* litigatur , & quo modo , & ratione humores isti post hominis obitum ad cutem perveniant , ambigitur. Nam *alij* hujus delationis causam esse facultatem expultricem statuunt ; *Quidam* eam calori residuo assignant ; Nonnulli humores spontè ad cutem deferri arbitrantur. Verum *prima sententia* ab ostio aberrat , quatuor de causis , primò : quia in corpore exanimato nulla amplius est anima , & consequenter etiam nulla animæ facultas ; nisi contradictionem velis implicare , & corpus statuere anima privatum , quod tamen aliquam animæ virtutem in se contineat : aut dicere , residuum esse virtutem & operationem in corpore , à quo tamen ipsum principium operans , & sine quo facultas operandi esse non potest , discesserit. Deinde , quia hæc ratione istud introduceretur absurdum , quodvis expultrix in corpore enecto vegetior esset , fortiorque , quam in vivo. Præsupponimus enim corpus demum post mor-

tem maculis fæcundatum esse, non ante. Quare si efficiens causa referretur ad facultatem expultricem, seque-
retur me herculè, eam validiorem esse indefuncto, quam
in vivente corpore. Quod enim expultrix non potuit ad
cutem protrudere in vivo, in demortuo, secundum hanc
quidem sententiam potuit abundè. Tertiò, qnia expul-
trix non operatur, nisi stimulata, stimulari autem dicitur,
cum sentit aliquid, hoc est, quod sibi vel quantitate gra-
ve, vel qualitate inimicum, vel utrâque molestum. At
nullus neque animalis, neque naturalis sensus inest cada-
veri, ergò falsum, quod expultrix in eo dominetur, & vi-
tiosos humores ad circumferentiam à centro ejiciat.
Quartò: quia post mortem, & caloris vitalis, & actionis vi-
talís facta jactura, sine quibus organis nulla omnino fa-
cultas agere potest, ergò neque expultrix. Secunda & ter-
tia opinio non in omnibus, sed quibusdam tantum cada-
veribus defendi potest. Quapropter causam macularum,
quæ cadaveribus superveniunt, non unam in omnibus,
sed aliam in aliis esse arbitramur. Nam quæ violentius
hinc inde moventur, trahuntur, contunduntur, premun-
tur, aut ab alto cadunt, venarum patiuntur rupturam, ex
quibus sanguis egreditur, egressus coagulatur, refrigerat-
turque & lividis aut nigris maculis cutem inquinat.

TH. XIV.

Concludimus ergò, materiam macularum cadave-
ribus supervenientium humores esse extravasatos & in-
cutem effusos: eosque aut subformâ & specie sua adhuc
servatos: vel leviter saltem ob frigerationem & concretio-
nem, mutatos: quemadmodum in suspensis, aquâ sub-
mersis, aliter vè suffocatis, & nonnullis, qui morbo ali-
quo, malignitatis tamen expertise, sunt extinti, apparel,

aut

aut planè corruptos atque depravatos : uti videre licet in iis , qui ob assumptum venenum, vel intus in corpore genitum , fato concesserunt. Horum enim aliqui virent, quidam flarent: nonnulli nigricant: alij livent: aliove fædati colore conspicuntur : & quidem vel in corpore toto , vel aliquibus duntaxat in locis: pro ut massa humorum vel tota, vel tantum secundum partem à pristina est forma dejecta. Ad hæc aut unò tantum colore sunt infecti : aut maculis diversorum colorum deturpati : Sc: pro conditione veneni , & qualitate humorum , qui depravantur. Efficientem verò causam, quæ faciat, ut humores post obitum ad cutem ferantur, esse dicimus, vel res vasorum tunicas rumpentes, eorumve orifcia restringentes: vel sanè colorem relicturn qui sua ad ambitum corporis evaporatione tenuibus humoribus & ichoribus ansam præbet, ut cum non amplius à retentrice regantur, sed hinc inde oberrendo ductum & quasi filum ac nutram caloris sequantur.

TH. XV.

Petecharum causam finalem & primùm prognosticin quod attinet, sciendum, Petechias semper characteres esse præsentis malignitatis & virulentiae humorum. Unde non nisi in malignis & pestilentialibus febribus animadvertuntur. Nam inter propria earum signa ab authoribus recensentur: ita ut ubi petechiæ conspicuntur ; ibi etiam vel pestilens, vel alia maligna & venenata febris dominari dicatur. Sed videamus quid ex differentiis suprà traditis prædici debeat. Quantitatem ergo quod attinet , docent quidam scriptores, multas & magnas bonas esse, paucas, contrà & parvas, malas. Illas enim indicare venenatam materiam à centro ad circum-

cumferentiam expelli: has verò naturæ imbecillitatem in expellendis noxiis portendere. Verum hoc prognosticum perpetuæ Veritatis non est. Non enim magnæ & multæ petechiæ semper bonæ: neque parvæ & paucæ semper malæ. Illæ quippe interdum magnam solum materiei virulentæ in venis visceribusque ebullientis copiam significant? Cujus ratione periculum imminet, ne forsan natura succumbat. Unde experimur, multos, etiam copiosissimè obortis petechiis, fato concedere. Quare soli petechiarum quantitati temerè non fidendum, sed alia quoque signa perpendenda. Hæc enim si vel omnia vel pleraque saltem bonum præfigant, quantitas etiam boni nuncia credenda: Sin præmonstrent malum, hujus quoque index quantitas dicenda. Quanquam affirmare liceat, petechiarum eruptionem propterea malam esse perpetuò, quod malignam in corpore materiam denotet. Bonum autem propterea, quia salubrius est, materiam hanc ad exteriora moveri, quam intus in corpore detineri: Licet enim per petechias virulenta materia radicitus raro extirpetur; Portio tamen illius evellitur, quâ dempta, natura non nihil sublevatur, reliquamque sarcinam levius fertaque facilius.

TH. XVI.

Colores quod spectat, sunt rubentes petechiæ omnium tutissimæ: quia mitiore earum causa; nempe sanguis. Deteriores sunt, quæ virides & flavæ, pejori quippe ex causa genitæ. Pessimæ, quæ lividæ, violaceæ, & præser-tim quæ nigræ. Mortis enim ut plurimum notæ sunt propediem secuturæ: quantum verò ad tempus apparitionis & modum eruptionis, nimirum quæ ante 7. diem, symptomaticæ

ptomaticæ sunt: quæ in morbi progressu, criticæ, cum scilicet die criticâ, prægressa aliquâ materiei melioratione, & subsecuta ægrotantis alleviatione factæ. *Symptomaticæ* mala sunt quia fiunt ab ὑγρασμῷ malignorum humorum, naturam ante tempus, cum scilicet eos nondum correxit & mitigavit, ad excretionem sollicitantium. *Criticæ* contrà bonæ sunt: præfertim si fiant cum sudore, quia fiunt ex naturæ intentione, die criticâ, prægressâ materiei mitigatione & correctione, factaque ejusdem à reliquis humoribus sequestratione & translatione ad συμφέροντα κορεῖα, diversas scilicet cutis partes.

TH. XVII.

De *Tempore Durationis* si sermo sit: videntur illæ petechiæ deteriores esse, quæ retrocedunt, breviique evanescunt: Innuunt enim vel naturam avocari à cæpto expulsionis opere: vel malignitate materiei ita oppugnari debilitari quæc ut continuare expulsionem nequeat: vel interiora quasi ura, ut in modum cucurbitularum humores ad se trahere videantur. E contrario meliores iudicantur, qui aliquandiu perseverant, donec vel cum, vel sine sudore discedant. Ratio est, quoniam significatur, naturam in opere semel inchoatò persistere: nec pati, ut ad partem aliam, eamque nobiliorem, cum discrimine ægrotantis, seducatur: Esse etiam materiâ superiorem, nec ita laborare, ut eam profligare non possit. Petechiæ repressæ periculum vitæ adferunt. In cuius rei fidem *Forestius lib. 6. de febribus observat. 39.* elegantem & memoriâ dignam Historiam recenset; qui desiderat; legat. Ut paucis comprehendamus, quæ ha-
ctenus dicta, petechiæ uberius, colore rubræ, quantita-
te copiosæ, motu Critico, cum sudore, per totum cor-

pus, aut majorem saltem illius partem egredientes, & aliquandiu persistentes, idque sine gravibus accidentibus securitatem pollicentur, ut ut etiam malæ causæ signa sint. Contrà, vitæ periculum minantur, quæ lividæ violaceæ, aut nigræ, quæque erumpunt symptomatice quantitate paucâ, in principio morbi, nullo cum levamine decubentis.

TH. XIIIX.

Antequam ad Curationem progrediamur, operæ pretium videtur, illorum examinare sententiam, qui contendunt, petechias malas esse perpetuo, neque ullas criticas esse dicendas; Rationes adducunt varias, quas hic brevitatis causa omitto, alias totum volumen conscribere deberem, nec pluribus rationibus etiam opus est, confitentem quandam exadversariis habemus, & accedentem nostræ sententiæ, cum scribit: petechias vel salutem, vel mortem, vel utramq; & tempore, & quantitate & qualitate designare. Item cum ait: Petechias in principio pullulantes pernicioſas esse, quod magnum humorum ^{ὕπαρχον} & malignitatem significant, naturâ graviter laborante, nondumque concitatos humores pravos vincendos ac placandos aggressâ. Quomodo enim, inquit, idem, tanti humorum impetus malignitasve, tam brevi horarum curriculo reprimi, restinguique potest, à natura hinc inde distractâ, quare quia die non contingunt criticò, nec à natura rectè operante instituuntur, meritò suspecta esse debent. Ex quibus patet, petechias, quæ in principio statim die non Criticò, nondumque castigatâ materiâ morbificâ efflorescunt, pernicioſas esse, eas vero, quæ in morbi progressu, & maxime quæ in statu, cum materiâ correctâ & mitigatâ, die critico erumpunt, salutem polliceri.

TH.

Nunc ad Curationem. Petechiæ ratione formæ suæ consideratæ, quatenus Symptomata sunt in genere mutatarum qualitatum, neque Curationem neque præservationem requirunt. Nam Curatio secundum *Galenum lib. 12. M. M. c. 1.* debetur morbis : præservatio causis morbificis : quibus è medio sublatis symptomata & consecutivè etiam petechiæ evanescunt. Quia tamen, cum pullulant petechiæ, ad causam earum respicimus, idcirco primum in genere dispiciemus, *an iis apparentibus naura juvanda sit, an quiescendum?* Deinde in specie sequentes tractabimus quæstiones I. *si natura in expulsione petechiarum juvanda.* quibus mediis id præstan-dum? II. *An extrusis jam petechiis venam secare liceat, nec ne?* III. *An iisdem in cute existentibus catarcticis ut-endum pharmacis?*

Generalem ergo Quæstionem quod attinet, tres de illa sententias reperimus. Prima eorum est, qui statuunt, erupcionem petechiarum, quocunque tempore & modò contingat, perpetuo juvandam, promoven-damque esse : Utunturque ad defensionem placiti sui duobus fundamentis, utrisque ex Hippocrate petitis. Pri-mum habetur *Aph. 21. Sect. I.* ubi inquit *Hipp.* quæ e-ducere decet, per ea loca educenda esse, quæ & confe-rentia sunt, & ad quæ natura vergit. Secundum extat *Aph. 25. Sect. ubi Hipp.* monet, erysipelas ab interiori-bus partibus verò ad exteriores, bonum. Quapropter cum petechiæ neque utiles sint, quomodo etiam emi-cent, neque morbi aut symptomatis urgentioris ullam rationem habeant ; Scd notæ duntaxat existant, intus

furiōsē ebullientium & malignē putrescentium humorum, sinendas potius esse, quam ullō auxilio tractandas: Spontē enim disparituras, ebullitione massa sanguineæ sedatā, & malignitate febris accisa; quorum utrumque non macularum exitu largiore procuratur (hoc enim potius esset augere ebullitionem & putredinem malignam, à qua proficiscuntur petechiæ) sed remediis aliis, de quibus Practici in curatione febris malignæ præcipe-re solent.

TH. XXI.

Quibus Mediis Natura in petechiarum eruptione juvanda? Si petechiæ Criticō motu erumpant, vel propter naturæ infirmitatem, vel materiei copiam erumpant insufficienter: Suadent Artis proceres, ut univer salibus præmissis, Natura in expulsione juvetur: Juvatur autē partim *internis*, partim *externis* remediis: *Internæ* ex eorum albō sunt quæ διαφορητικὰ καὶ ιδεωτικὰ nuncupantur. Fugienda autem, præcalida, Febrilem enim calorē in malignis augent: quod si quædam eorum modum in calore excedant, frigidorum admistione temperari debent. Verum præter Dia-phoreticam & hidroticam virtutem etiam cardiacam ha-beant oportet, quâ & Naturam confortent, & maligni-tati fortiter resistant: more eorum quæ alexipharmacæ, alexitheria, alexicaca, & antidota nominari solent. Ta-lia ex *simplicibus* sunt *Radices Angelicæ*, *Imperatoriae*, *Petasitidis*, *pimpinella*, *Aristolochiæ*, *Gentianæ*, *Helenii*, *Dictamni*, *vincetoxicæ* carduibenedicti, *valerianæ*, *Ze-doariæ*, *Acori*, *Scorzonerae*, *herba Scordii*, *Veronicae*, *Sca-biosæ*, *Rutæ*, *Betoniae*, *Melissæ*, *Polii*. *Semina* citri, *Napi fæniculi*, *Baccælauri*, & *Juniperi*, Ad hæc fucus, *Lentes*, *cornu cervinum*, *terra sigillata*, *Lapis Bezoar*, &c.

&c. *Aqua* item stillatitiae simplicium enumeratorum, & præter eas, aqua calendulae, aq. Apij. aq. Serpill. aq. Bardanae. *Ex Compositis* verò aquæ Theriacales, Theriacæ Androm. Mithridatum Damocrat. Antidotum Matthiol. Diascordium Fracastorii, Electuarium de ovo Maximil Imperatoris, pulvis Saxonius, pulvis rubeus Cæsar. contra pestem, & his similia alia, ex quibus variæ concinnari formulæ queunt utpote pulveres, Julepi, decocta infusiones, emulsiones &c. *Externa Præsidia* videntur duplia: quædam cutem laxantia, atque aperientia, nonnulla petechiarum materiam ad eam allici-entia. Cutem laxant atque aperiunt aër calidus: frictiones molles cum pannis calefactis; inunctiones calidæ ex oleo chamomelino, anethino, lilio. alborum, amygdalorum dulcium &c. Materiam Petechiarum ad cu- tem trahunt cucurbitulæ & Vesicatoria. Cucurbitulæ vel cum vel sine scarificatione applicantur, rectius autem cum scarificatione, & quidem pluribus in locis: dorso præsertim. Brachiis & femoribus, si materia sit copio- sa: Vesicatoria admoventur Brachiis, & cruribus. Eo- rum materia sunt cantharides, flammula Jovis, ranun- culus esula, allium, cepa, scylla, semina erucæ, sem. si- napi fermentum acre, fimus columbinus, anserinus, ni- trum &c.

TH, XXII.

An Petechiis apparentibus vena sit scanda?

An Venesectio in febri petechiali administranda, hic non quæritur. Quæritur solum, an, si administranda, petechiis jam apparentibus administrari debeat? de hac autem quæstione in utramque partem disputari po- test: *Primo*, quia omni studio cavendum, ne venæ-

sectione Naturæ motus, quō maligni humores à partibus internis, adeoque ab ipso centro ad cutem, partem ignobilēm, longissimeque à corde diffitam, & publicum totius corporis emunctorium, alegantur, impediatur. Secundō, quia Venæ-Sectione materia petechiarum remeare cogitur ad interiora. Nam venis majoribus per sanguinis detractionem exinanitis, sit, ut sanguis ē vasis minoribus, quæ habitum corporis rigant, trahatur in majora, sicque materia maligna & expulsio, magnò cum vitæ discrimine, prohibetur: *Pro affirmando* autem nos hanc adducimus rationem, quia Natura Sarcinā, quā premebatur, exonerata fit robustior, ac quod reliquum est materiei, fortius expellit. Nobis simpliciter, & absolutè aliquid statuere religio est, quare distingvendum putamus.

TH. XXIII.

Præsupponimus autem necessariam esse Venæ Sectionem idque ob magnum aliquod vitium sanguinis fluxilis, vel in substantia, vel in quantitate: vel in qualitate vel in motu: & vires ita comparatas, ut executionem vacuationis sanguinis tolerare queant. Hinc rursus distingvimus inter eruptionem petechiarum criticam & symptomaticam: Critica, ut ex præcedentibus constat, fit die Critico, in febris progressu, materia à naturā victā, cum *ἐν φορίᾳ* decumbentis. Estque vel perfecta vel imperfecta; Ex quibus illa quidem malignam materialm totam exhaurit, quod tamen admodum raro contingit, nec nisi cum materia pauca est & tenuis, aut multa quidem: Sed fortiter per multas petechiarum Myriades in collo, dorso pectore, brachiis, cruribus, & clunibus expulsa: Hæc verò partem ejus in corpore relinquit;

quit, quod plerumq; accidit : Symptomatica per initia statim excitatur materiâ adhuc existente crudâ: & Iquidem non ex Intentione speciali naturæ, sed vi materiei inventis ebullientis, ac vel copiâ , vel virulentâ qualitate Naturam ad expellendum sollicitantis, sine alleviatione ægri.

TH. XXIV.

In Critica ergò à Venæsectione abstinentum , nec Natura, quamdiu petechias protrudit, turbanda , sive Eruptio illa perfecta sit, sive imperfecta. In perfecta namque crisi vult *Hippocr. Aphor. 20. Sect. 1.* nihil movendum, nihil novandum , nihil irritandum esse , sed Naturæ benè laudabiliterque operanti totum negotium committendum : In actu imperfectæ Criseos similiter Natura minimè ab officio distrahenda: Sed finis motus institutus expectandus, & cum vacare cessavit Natura, quod relictum, convenientibus mediis eradicandum. Quæ enim nos dicimus , *Galenus* suò calculo jamdudum confirmavit : Sic enim in *Comment. Aphorismi allegati* scribit : ubi integra perfectaque crisis facta est, vel adhuc sit, totum negotium Naturæ permittere , nihilque rios novare oportet. Ubi verò Crisis imperfecta est, quod deficit, supplere convenit : Rationem subjungit ex *Aphor. 12. Sect. 2.* quia quæ post Crisin relinquuntur in morbis, recidivas facere consueverunt. Insymptomatica verò petechiarum eruptione Venæ-Sectio neutiquam suspendenda : Cum enim in ea petechiae ab insigni solum sanguinis ebullitione, & malignorum putrescentiumque humorum fervore oriuntur, nihilque levaminis ægro adferant, ipsarum causa necessaria præsidia neutiquam omitti debent. Neque timendum, ne materia sanguinis missione ad interiora revocetur. Non enim ita exhauriuntur vasa, ut fame-

lica fiant, & aliunde à venis scilicet ambitum Corporis irrigantibus, sanguinem attrahere cogantur, (talis namq; evacuatio in febribus malignis, ratione virium, quæ vehementer à Venenata materia affliguntur, locum non habet) sed redundantia duntaxat sanguinis tollitur, ut quemadmodum *Galen. Lib. II, Meth. Med. c. 15.* loquitur, Natura levata, exonerataque residuum quod est facilius superet, atque expellat.

TH. XXV.

An erumpentibus petechiis purgante uti pharaco liceat?

Ad rectam hujus quæstionis decisionem eâdem opus' esse distinctione videtur, quam modò in Venæ Sectio-nis administratione adhibuimus. Nam si petechiæ ap-parent criticè, à purgatione plane abstinentur: præ-sertim cum venenata materia sufficienter educitur: nisi forsitan factâ Crisi, aut alvi ad sit constipatio, ut primarum viarum urgeat impuritas. Tum enim vel suppositori-um immittere, vel clysterem infundere, vel *εκκοπτικον* assummere licebit.

TH. XXVI.

In Crisi imperfecta, ne recidivam patiatur æger, materiei residuum vel ad cutem, ad quam ipsa quoq; na-tura inclinat, propellendum, vel si hoc ob ejusdem tonum debilem fieri nequeat, per alvum egerendum Catar-cticis mitibus atque benignis, quibus ea admisceri pos-sunt, quæ veneno adversantur, & pravam ejus qualitatem oppugnare queunt.

TH. XXVII.

Cum verò in principio, & symptomaticè eminent purgationem minimè prohibent, siquidem quod sem-per presupponimus, illius adsit indicans: Nihil enim juvant

juvant, sed effectus solum sunt furentis & turgentis materiæ, quam, etiam *Hippocrate* & *Galen*o consentientibus, expugnare licet, idque eo magis, quoniam maligna est & Venenata, veramque concoctionem non admittit.

TH. XXIX.

Adhibenda autem non helleborata, aut scammonæata Diagrydiata, vel draſtica alia: quoniam cum materia turgeat, & ob tenuitatem fervorem atque ebullitionem facile educatur *περαθάρτης*, & fluxus colliquativi promptè excitantur: Sed mitioribus contentos nos esse convenit, v. g. rhabarbaro, agaricō, senâ, tamaridis, myrobalanis, syrupo rosato solutivo, melle rosaceo solutivo, syr. diasen: syr. de Cichorio cum Rhabarbaro, syrup. de Rhabarbaro solutivo, electuario lenitivo, Diacatholicone & similibus: quibus his omnibus palmam præripiunt & dulc. aut hic cum buthyro & leviter fixatus, tam ad alvum & miasmata respiciens & Ota: quatenus sa- charata non omnibus semper tuta: quæ quisquiliæ malignæ febris evacuabunt, neque tamen vim aliquam viribus inferent. Plura qui desiderat, Autores citatos, (è quibus etiam hæcce, quæ de gravissimo affectu hoc pro pagellarum angustiâ dixi, me delibasse ingenuè fateor) evolvat:

Quod potui feci, superis sint cætera curæ.

Deus omnipotens ægrotantibus largiter assistat, & medi- corum dirigit cogitationes, ut prodesse semper stu- deant, cui sit Laus & gloria in sempiternum.

COROLLARIA.

*A*n pestis tantum ab aëre venenato? an etiam à pra- vo pernicioſo tum cibô, tum potu oriatur;

II. Sitne omnis pestis necessariò cum febri conjuncta?

III. An febris pestilens intensione duntaxat & vehementiā putredinis ab aliis putridis febribus differat? Non nemini affirmativa placet. At nobis negativa probabilior videtur.

IV. Num in vivente animali ex insigni humorum corruptione venenum generari queat? Affirmantem tuetur antiquitas: confirmat effectus: probat curandi ratio

V. Intercedatnē inter pestilentialem & malignam febrim numerica tantum differentia, an etiam specifica? Specificè has febres inter se differre arbitramur.

VI. Utrum Epithemata locum habeant in febre lenticulari? petechiis jam apparentibus, non nulli damnant, metuentes, ne petechiae repercutiantur. At nos illorum usum neutquam improbamus modo non vehementer refrigerent, aut adstringant neque actu frigida applicentur. Roborant enim, Naturam faciuntque ut petechias fortius validiusque expellat.

VII. Adferantne aliquid opis atque utilitatis in peste & maligna febri Medicamenta Vesicatoria. Etsi quidem Vesicatoria hisce in affectibus eō locō habeant, quō vitiosæ haberī nuces solent, nobis tamen, siquidem dextrè & opportunè adhibentia, minimè displicant.

VIII. An omnes Symptomaticæ exeretiones inutiles sint & vitiosæ? N.

F I N I S.

Errata.

Pag. 3. lin. 5, pro suos leg: suas p. 5. lin. 2. pro nunc num p. 6. lin. 17. pro pulicares
pulicares ead. p. lin. 20. nomen est omissum ead. p. lin. 28. pro plerisq; pleriq;
ead. lin. pro ιξαρτωσις, ιξαρθνωσις p. 8. l. pro τυ. τζ. ead. p. lin. ικνευη, ικνευ-

Cum Te scim mendet Megalandri Stemma Lutheri,
 Tantò Atavò dignus crederis esse Nepos:
 Dum tentas febres eradicare malignas,
 Cordati meritò dona Medentis habes:
 Perge, reportabis laudabile Nomen, erisque
 Gloria sic generis magna aliquando tui

ad loquend.

D. Georg. Christ. Petri ab Hartenselß/
*Sacri Palat. Cæs. Comes, Consiliarius & Archiat.
 Electoral. Mog. Consul primarius & Physicus Erf-
 furtensis, Universitatis & Fac. Med. Senior, hu-
 jusque p. t. Decanus, P.P. & P.L.C.*

Martius hospitiis latitantes Martis alumnos
 Evocat, in campos committit & urget utrinque,
 Ut pugnæ subeant discrimen & ampla reportent
 Præmia, queis forsitan victoria contigit alma.
 Martius ast aliam Tibi jam jam monstrat arenam,
 In qua cum doctis configere jussit Apollo
 Te, viresque tuas certando intendere cunctas.
 Quin & Apollo tuæ nunc pugnæ præsidet ipse,
 Ut Tibi de properet victuro laurea serta.
 Gratulor eventum felicem: grator adepta
 Præmia; morborum semper Tu sis quoque viator.

Ita de pro; erabat

Justus Vesti Med.D. Pathol. P.P.
 ejusque Facult. Assessor.

Quis sis nunc Medicus, qualis quantusque futurus
 Edocet excellens specimen mi Fautor amande!
 Dulcia præstabit tandem Geranus Apollo,
 Omine felici fortunent Numinia captis
 Sit Praxis felix precor & Tua fama perennis!

Hisce paucis Nobilissimo & Clarissimo Dr. Doctorando
 gratulari voluit

Joannes Philippus Eyselius, Med. D. Anatom.

Chir.& Bot.P.P.Fac.Assess.Ord.P.L.C.

Is

Is semper dignus laude est, qui nocte & dieque
Scit maculas animi delere & corporis omnes,
Quæque solent utrique nocere & lacerare parti.
Haud minimas laudes inde ergo meretur & ille,
Qui novit mentis vitare & corrigere istas,
Te Primum novisse satis, specimen probat illud,
Mi Luthere Tuum; nunc præstes, opto secundum,
Quilibet ut dicat, Te & Nomen & Omen habere.
Numinis ac Orbis Tibi erit sic parta Corona:
Utraque sit, Felix Tibi & aurea Sponsa petita!

PRÆSES.

SO kan ein steter Fleiß doch nicht verborgen bleiben/
Er schwingt nach Adlers-Art sich endlich doch empor,
Ob Neid und Hinterniß sich wollen an Ihm reiben/
So haben sie zum Lohn doch lauter Nichts darvor.
Dix wird Hochwerthester recht wohl an Ihm erfüllset/
Da Er mit grossen Kühn auf den Catheder steigt:
Doch wird mein schwacher Riel nicht eher seyn gestilset/
Bis sich der Purpur-Hut auf Seinen Haupte zeigt.
Ist mein Wunsch, daß Er durch dieses Unterfangen
Hinfort viel tarfend Glück und Ehre mög' erlangen!
Mit diesen Wenigen sollte und wollte sich dem Hn. Doctorando
gehorsamst befehlen

Ernest. Wilhelm. Raabe/Cant. S. Thomæ.

Longo cum multi quærant discrimine mentis
Vanum mysterium, quod tamen inter eos
Totius mundi mirandus Spiritus audit;
Hoc vocitant alii fortè Sophum lapidem.
Et Tibi non similem Gazam, patronē, parasse
Refert, nam nescit tallere Te & alias.
Ut comitentur eam virtutis gloria, Fama;
Summus agat Rector; gratulor ex animo!

*Hæc pœnca non ut voluit, sed ut potuit Doctissimo Disputanti,
Fautori suo honoratissimo adjecit*

Joh. Gottofred, Walther/ Organ. ad D. Thom-